MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III)

1. Drittel 13. Jh. Seite 9r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

donec omnipotentis dei dextera per victoriosissimum ottonem imperatorem eandem superaret et populum christianum liberaret. Quam diligenti cura presul venerandus ab infausta gente liberatorum suorum curam gessit. De eo quod sancta dei ammonebatur in visione ut ecclesiam sancte afre a paganis crematam studeat reparare. De hortulano a viro dei sanato. Qualiter vir dei romam perrexit ubi et caput sancti abundi martiris acquisivit. Qualiter loca sancta visitando ad cellam sancti meginradi pervenit ubi a servo dei heberhardo benigne susceptus est. per prophetie spiritum audivit ab eo quod non amplius se essent in hac vita visuri donec ambo venirent in presentiam dei. De eo quod reliquias quas in agaunensium loco et in agaunensi monasterio acquisivit augustam attulit et in oratorio sancte dei genitricis cum ymnis et psalmodiis religiose collocavit. Qualiter oleum in cena domini a sancto viro consecratum multi infirmi restituti sunt sanitati et quam celerrime perficienciam eiusdem sancti liquoris ipse quoque consecutus est donum sospitatis. Quomodo vindicem illuvione aquarum nimis elevatum comitante secum humectatio ipse sicco pertransiit vestimento. Qualiter in danubio peregrinum dei liberatus est a naufragio. Qualiter romam pergens tar fluvium periculosa aquarum inundatione refusum transvadavit cum incolomitate suorum. Qualiter quedam sanctimonialis femina in ecclesiam sancti stephani prothomartiris ob inobedientiam infirmata. sed ad virum dei deducta illico est sanata. Quod quodam tempore ad sinodum pergens quendam pauperem obvium habuit cui denarium in nomine christi donari precepit quo accepto abiit et per merita sancti viri non post multum temporis sanari meruit. Quod vir dei seculum relinquere cupiens monastice religionis habitum sumpsit et cum consensu ottonis augusti cuidam clerico adalberoni sue sororis filio curam totius episcopatus commisit et quod ob hoc ambo ad sinodum sunt vocati et quid ibi super hac re determinatum sit. et qualiter idem adalbero subitanea morte defunctus sit eodem anno. Qualiter eius studio abacia utenbura libertatis privilegio sit donata. Quod quadam die sancto dei iter agenti quidam astitit qui cunradi constanciensis episcopi obitum annuntiavit quod tamen verum non esse vir dei per spiritum cognovit. Quod vir dei sciens tempus resolutionis sue iam instare quantocius festinabat augustam civitatem ingredi ut ibi possit finem vite sue prestolari. Quod descriptis in episcopatu suo rebus terciam partem adhuc se vivente iussit presbiteris et pauperibus dare necnon et certa que habuit coram se afferri precepit ac inter clericos et pauperes divisit. Quod in infirmitate positus sepius in extasi raptus est et invisibilium per spiritum plurima vidit de quibus pauca his qui cum eo erant narravit unde et wernhero fuldensi abbati quedam predixit. Qualiter conquestus sit quod nepoti suo adalberoni secundum propriam voluntatem in tantum consensit. Qualiter divina revelatione ammonitus sanctus dei in natale sancti johannis baptiste bis missarum sollempnia celebravit. Quod in vigilia apostolorum petri et pauli de hoc mundo se migraturum speravit. De transitu beati viri et quod de exanimi eius corpore tanta odoris suavitas exiret ut cunctorum nares et pectora perfunderet et qualiter corpus eius sacratissimum in ecclesia sancte afre martiris honorifice esset sepultum.

Egregius christi Vita Vdalrici episcopi.

confessor vdalricus ex alamannorum prosapia extitit oriundus. Cuius parentes hupaldus scilicet ac thietpirga ambo quidem secundum huius seculi dignitatem clari et nobiles sed fide atque divina religione multo clariores fuerunt atque nobiliores. Qui talis ac tante prolis fecunditate divinitus ditati mox eandem cuidam fideli ad alendum ut mos est commendaverunt nutrici. videlicet ut ipsa nativitatis primordia celestia non defuere

9